DIE VII. DECEMBRIS.

IN VIGILIA

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

(Ubi est concessa)

INTROITUS. *Ps. 65.*

VEnite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ.

Psal.ibid. Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Gloria Patri.

Non dicitur Gloria in excelsis.

ORATIO.

DEus qui Unigeniti tui Matrem ab originali culpa in sua Conceptione mirabiliter præservasti: da quæsumus, ut sua nos intercessione munitos, corde mundos facias suæ interesse festivitati. Per eumdem.

Et fit commemoratio Feriæ. Tertia Oratio de Spiritu Sancto.

Lectio Libri Sapientiæ. *Eccl. 24.*

EGo quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris et agnitionis et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me vitam æternam habebunt.

Graduale. Prov.9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

℣. *Psal. 86. 1.* Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

✠ Initium sancti Evangelii secundum Matthæum. *Matth. 1.*

LIber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.

Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus. Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jeconias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Offertorium. Cant. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

SECRETA.

Munera nostra, Domine, apud tuam clementiam, Immaculatæ Dei Genitricis commendet oratio: quam ab omni originali labe præservasti, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur. Qui tecum vivit.

Præfatio Communis.

Communio. Cant. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

POSTCOMMUNIO.

Concede misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui Immaculatæ Conceptionis Genitricis Unigeniti Filii tui festivitatem prævenimus; intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem.

Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus. Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jeconias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Offertorium. Cant. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

SECRETA.

Munera nostra, Domine, apud tuam clementiam, Immaculatæ Dei Genitricis commendet oratio: quam ab omni originali labe præservasti, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur. Qui tecum vivit.

Præfatio Communis.

Communio. Cant. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

POSTCOMMUNIO.

Concede misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui Immaculatæ Conceptionis Genitricis Unigeniti Filii tui festivitatem prævenimus; intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem.